

157/65 1644 Dezember 9., [Neuheim]

Schreiben des katholischen Pfarrers in Neuheim, Michael Doswald, an Melchior Röllin über das kirchenfeindliche Vorgehen des französischen Königs Ludwig XIV. gegen den Kaiser Ferdinand III. sowie mit persönlichen Ratschlägen

A «Salutem mentis, & corporis, agnitionem devii, emendationem status periculosissimi, paenitentiam veram, reditum citum in patriam, atque adeo ab orco ad caelum.

Honorande atque clarissime d[omi]ne Melchior Röllli [= Melchior Röllin] accepi ep[isto]la[m] tuam latinogermanicam, datam (nomen loci non potui legere) die 10. ian[uarii] a^o 1643. Initio accusas tuam tarditatem scribendi hactenus tamen querela, quod nullas ex patria epistolas responsorias accipias à parente, fratre, uxore. Idem mihi epistolae initium esto, inter eos quod non dubito, scripsisse tuo tibi, sed infidelibus tabellariis traditas quod saepissime exp[er]tus sum aliis contigisse; saepe enim venêre ad me uxores scribi curantes maritis suis; mariti scripserunt similes querelas quod nullas ab uxoribus litteras accipiant. Itaque taeduit me frustra scribere ac praesertim tibi, quia non potuissem intermittere q[ua]n[do] [?] scriberem tibi seria secreta, quae si infideli manu aperirentur, mihi incommodo futura timebam. At iam perfricui frontem, liberrimè scribam, etsi ipsam parlamentum regium rescians rumpatur. Secreta non sunt tibi nova, sed iam animo tuo infixata, instar spinarum; utinam n[on] hactenus insensibilis (fynig [?]) factus sis! Gratularis tibi scilicet tuam tunc t[em]p[or]is a[n]i[m]i tranq[ui]llitatem post multas tribulationes, nisi (inquis) belli nisi scrupulis, quod domi forte iniustum declaratur, contristarer, scito quod ego tunc solum scrupulum habuerim de iniustitià, non autem dubium positionum, multo mi nus iudicium certum. Nunc autem omnibus doctis et piis sacerdotibus, et confessariis, nominatim capucinis, et conventualibus Einsidlensibus [= Einsiedeln] iniustitia evidentissima ex evidentissimis fructibus pessimae arboris, belli nimirum flagrantissimi gallici contra evidentissimum praeceptum Christi. Reddite q[uae] sunt caesaris, caesari, et quae sunt d[omi]ni, d[omi]no. Totus mundus gemit, quod galli [= Frankreich] contra caesarem [= Ferdinand III.] iniustissimè, et prorsùs diabolicè pugnent, ac eadem opera Deum deque eccl[esi]am sanctam, et religionem catholicam flagitiosissimè oppugnent, innumerarum animarum iam facto, et fiendo interitu aeterno. O pudor! O flagitia! O diabolicos gallos, o[mn]ibus divis devovendos! Et vos militantes ipsi hosti ecclesiae inratissimo, quele [?] vobis iudicium paratum censere deberetis! Uno verbo, estis participantes o[mn]ia (quae sunt innumera, et in ciclum [?] clamantia) flagitiorum, et consequenter in statu perpetua damnationis (nisi

paenitentiam agatis, bello resignantes in patriam citio redeunt). Illi qui sensim redeunt, acerrimè exagitantur [//] à confessariis, nec absolute digni iudicantur, nisi fateantur se gravissimè peccasse, et sub iure iurando promittant, isti moderno bellico exercitui, et gallico renunciare, sicuti in baptismo diabolo renunciarunt. Si tu n[on] credis mihi, caecus es, vae tibi! In inferno cum epulone illo aperies oculos, sed serius cum phrygibus sapies. Confiteris in tua epistola te parochinum, et orationem meam; si adhuc me pastorem a[n]i[m]ae tuae agnoscis, pastoralis auctoritate praecipio tibi, sub obedientia, ut citiùs cito remissionem petas, extorqueas, negatam rapias, et in patriam (vel alio chri[sti]ani catholici exercitii) redeas, etsi stipendio tuo (quod procul dubio plurimum tibi debetur, gallice, idem iniustissimè, defraudari debeas; quid n[on] (ait Chr[ist]us¹) prodest homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur. Formidabis redire ad pristina domus tuae paternae incommoda doleo tuam vicem. At considera, esse temporales tribulationes, si patienter perferantur, cooperaturas tibi ad aeternam faelicitatem. Non ne e duobus malis minùs eligendum? Quomodo a pater erga te affectus sit, scis, scribitis n[on] invicem. Nihil unquam illi locutus sum, nec etiam fratri, nec etiam uxoris patri, causa est; quia abservo effatum ss. scripturae ubi non est eruditus, ibi ne effundas sermonem tuum.

Magna sunt dissidia apud nos, ac paene seditiones, nisi maiores, et minores p[ro]p[te]r istud nequissimum ecclesiae catholicae perniciosissimum bellum gallicum, fautores gallici impudentissimè defendunt (der geldtfresser, Judas brueders). Nos concionatores hactenus non ausi sumus nisi modestè lupum sub agnâ pelle ostendere. Sed iam incendium nimis urget clamorem (fürio). Der kätzer zürcher [= Zürich] hand den gantzen sommer ihr statt verschantzet, soldaten dinget, reüterezen usgeschossen, ein musterung über die ander gehalten, den soldaten frantzösische huetlin uffgesetzt, wild [?] dem catholischen Khayser [= Ferdinand III.] diabolico gallo [= Ludwig XIV.] z' hilff. Rumor est publicus, dass in khurtzem tag constantz [= Konstanz] aber wird belegeret werden von dem frantzosen jetz, wie vor vom schweden, sie trutzen wie sie den allenthalben wöllen hausen, wan sie Costantz [= Konstanz] bekriegen. Ja freilich, helff Gott dan den 5 orthen [= V kath. Orte], und er würdt ihm helffen. [//] Dan wan die frantzösische fautores (melius dixerim proditores) under uns nit weren, und was andere weyse [?] sorgfeltige, recht catholische recht eydtgnösisch, billich khayserisch herren und bauren machen, mehren, und decernieren, dasselbig alls nit eludierten znüt [?] richten. Ich hett ein gantz buech zu schreiben, vel in praesentia einen gantzen tag mit eüch zu reden. Ich han gester einfahrd einist ufm cantzel den teüfel gar usen geseidt, allso das ich mich besorgen muss einer tödtlichen verfolgung von den nächsten khätzer zürcher, oder wol sobaltdt von den inheimbschen frantzösischen tüfelsichtigen

geldtfrässeren, Judas brüederen. Sed cum apostolo Paulo nihil horum vereor in professione catholicâ & executione officii praedicatorii martyria, & mortes cum D[omi]ni iuivamine subire non dubito. Fiat voluntas D[omi]ni. Sed redeo ad te! Ride tu, quid pro tua salute agas. Aperi oculos catholica fide illuminatos, litteraturaque, vide praecipitium, actutum retrahe pedem; si non vides, crede mihi videnti, et tibi ostendenti, et retrogressum inclamanti; et si tibi res cordi; in viâ D[omi]ni socios (ut monet S. Chr[i]sto[phorus] sive alius s. doctor) habere desiderato, id est, quotquot capaces [?] commilitones nosti, hanc meam parochialem declarationem, monitionem, iussionem annuntiato; concludo verbis Chr[ist]i math. 19 qui potest capere capiat; ² quisquis autem non vult capere, capiet illum certissime infernalis exercitus diabolonem [?]; quia haedi sunt, qui vocem pastoris audire nolunt & denique gratias maximas ago pro ambobus nummis (15 bz) transmissos. Emmi illis diurnale nonum & inscripsi me habere tuo dono, ac sic memor sum tui in precibus. Deus exaudiat eas & te orem meam, quasi perditam, citò mihi ad ovile meum (parochiam Neuhemianam [= Neuheim]) reducat. Amen. Amen. Amen. Amen.

Dat[um] 9. decemb[ris] a^o 1644.

Nos Neuhemii tibi statis precibus intendimus heri & cras & über disrriige heure zeitung sag ich das, hat dan der teüfel den frantzosen gar geritt, oder besessen. O quam saepe misereora[n]i[m]ae tuae, ut note mihi nimis dilecte in Chr[ist]o d[omino] n[ostro]. Ey, ey, das ein solcher treflicher, mit guthen talenten von Gott begabeter man soll in solchen teüflischen kriegsdienst, an leib und seel, haab u[nd] guts zu grundt gehn. O we. O we. Quaeso te denuo, miserere te [?] ipse a[n]i[m]ae tuae. Placens D[omi]no ut inq[ui]t eccles[...]³. Quam citissime retrahe pedem, fugeque ut Loth, ex flagranti Sodoma, ex orci perpetuo urentis faucibus, si non fugis, et peris, et in aeternum tuam.

Inobedientiam lamentaberis? Ego lavabo manus sed meliore iustitia, quam Pilatus.

Ecce ego te omnibus viribus praemonui. O pastor bone Jesu, concede mihi saltem unicum hanc orem perditam. Amen.

Michael Doswald

parochus catholicus

inimicus o[mn]ibus ecclesiae modernis inimicis, eorumque fautoribus pertinacibus.

PS.⁴ Istam magnam epi[sto]lam scripsi die assignato prioris annis fere ante 10 menses. Nuntius quem putabam vertum deinde non est digressus. Aliis nuntiis vel non fidi, vel abituros nescivi. Itaque illam seposui, utque hodie, quo pater tuus petiit a me instrumenta scriptoria, dicens, se tibi perscripturum, significatque nuntios, quibus fidendum in hoc negotio ergo prompsi scriptam

pridem ad te hanc ep[isto]lam; et nihil mutandum iudicavi. Addit tamen his appendicibus. Nihil mihi mali evenit ex illa, nec aliis invectivis concionibus, nisi verba mala. Die kheinbülen gänd. Hac hebdomada fui in Einsidlen [= Einsiedeln]. Hospes meus dixit, quod rex gallus [= Ludwig XIV.] turcae infest[issi]mo Chr[isto] hosti & vel novem classes miserint in auxilium. Contra quem contra eccl[es]iam cath[oli]cam pro more. Quo terribil[i]ssimo hosti appropinquanti, modernus ante papa Innocentius 10^{us} [= Innozenz X.] totum christianum orbem ad publicas preces sollicitavit propria bulla 17 iulii⁵ data. F».

¹ Bei Matth. 16, 26 allerdings ohne Verneinung.

² Matth. 19, 12.

³ Rest des Wortes unleserlich.

⁴ Dieses PS steht längs des linken Randes von Bl. 126^r.

⁵ Evtl. wird hier auf die am 17. Juli 1245 erlassene Bulle «Ad Apostolice Dignitatis» von Papst Innozenz IV. angespielt, die den Machtkampf zwischen dem Papst und Kaiser Friedrich II. zum Thema hat und die Absetzung des Kaisers fordert, s. MGH Ep. saec. XIII, II n. 124, 88 ff. (online: http://bsbdmgh.bsb.lrz-muenchen.de/dmgh_new/app/data/tiff/bsb00000516/gif/bsb00000516_00107.gif [10.6.2009]).

AH 157, Bl. 125-126 • Bl. 126^v leer.
In lateinischer Sprache.
